

tiores nos faciat diligentissime de omnibus quæ isthic agentur, et præcipue de exterminatione schismaticorum.

XXIX maii. Valeat dominatio vestra reverendissima — 1512.

Exemplum litterarum regis Angliæ ad Maximilianum electum Romanorum Imperatorem.

Sacratissimo ac potentissimo principi domino Maximiliano divina favente clementia electo Romanorum imperatori semper Augusto, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ regi, archiduci Austriæ, duci Burgundiæ, Barbantiæ, Comiti palatino et consanguineo nostro carissimo.

206 Henricus Dei gratia rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ salutem et feliciū successuum continuum incrementum. Legimus vestræ sacratissimæ Maiestatis litteras, quibus et christiani sanguinis intra annum effusionem et recentem tot strenuissimorum militum iacturam deplorantur, quibus non solum Europam ex infidelium manibus eripi sed et in Asia multum acquiri potuisset, ipsis præsertim dissentionibus inter se infidelium, qui optimam in præsentia his suis discordiis bene gerendæ rei occasionem nobis præbent, et ad hanc expeditionem componendamque inter christianos principes concordiam vestra celsitudo nos vehementer hortatur. Sacratissima Maiestas, non putamus aliquem christianum principem ad supradictam contra infideles expeditionem animum ardentius adiecisse, quam claræ memoriæ olim nostrum patrem, qui jam cum serenissimo rege Portugalliæ consanguineo et fratre nostro carissimo multa in hanc rem gravissime tractaverat effecissetque aliquid, sic enim certum habemus, christiano principi dignum, nisi alia Altissimi dispositio interrumpisset, et eo defuncto quasi hereditarium accepimus ut nihil aliud in nostro regni initio nobis animo obtuerimus quam serenissimum regem Aragonum socerum et patrem nostrum carissimum in numerosissima classe collecta, serventissimis animis, in dietos infideles tendere prospiceremus. Quod etiam nos haud parum accendebat verum; dum hæc tam præfatus serenissimus rex Aragonum quam nos omni studio cogitaremus, ecce crebris iisdemque mestissimis Sanctissimi Domini Nostri Omnipotentis Dei in terris vicarii querellis, lamentationibusque interpellamur quod: qui ecclesiam imprimis defendere et eius unitatem totis viribus servare deberent, qui etiam Christianissimi dici volunt: ipsi idem inconsutilem Domini Nostri

Jesu Christi tunicam lacerarent, divi Petri patrimonium diriperent, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ urbes caperent, tyrannunculos in eis foverent, ibi vero vincula, carceres et atrocissima queque minitarentur. Quæ ut nos frequentibus ipsius Sanctissimi Domini Nostri brevibus intelleximus et vera etiam cognovimus, hanc pro rei indignitate exhorruimus et continuo una cum dicto serenissimo rege Aragonum per litteras nunciosque nostros apud ipsos Sanctissimi Domini nostri hostes vehementer laboravimus et preces nostras interposuimus ut Ecclesiæ unitatem labefactare adivellere nollent, aque ut a Sedis Apostolicæ terris ditioneque abstinerent et ablata restituerent. Ipsi vero christiani orbis tyrannidem animo volventes, quasi rerum summarum jam tunc moderarentur, amicas fraternasque tam supradicti regis Aragonum quam nostras admonitiones et preces superbissime contempserunt, nec multo post, quasi in odium nostrum facerent, longe acrius quam antea Sanctissimum Dominum Nostrum urgere ceperunt crudelitatem plusquam tureicam insuperatos exercentes ac omnia sanguine rapinis et incendiis involvendo senes, mulieres, infantes trucidando, Deo sacras vergines violando, et quibus gentiles olim barbarissimi quoque homines sæpissime pepercerunt, religiosissima ipsa templa, sanctissimasque aras innocentem cruore ædando, item perniciosissimum schisma longe et pertinacius quam antea fovendo, quod quantum ab heresi distat Vestra Maiestas probe novit, et denique nihil non sævum impium scelus ac nepharium perpetrando. Quæ cum magna nostra tristitia et horrore nobis nunciarentur, officii nostri debitique erga Sanctissimum Dominum Nostrum et Sanctam Romanam Ecclesiam non immemores, alias nostras cogitationes deponere, cum præfato serenissimo rege Aragonum pro defensione eiusdem Sanctissimi Domini Nostri et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ arma sumere et ante omnia turcas et quoslibet, infideles deteriores qui in media sunt christianitate quantum in nobis erit cohercere et iniurias ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ illatas ulcisci decrevimus: quod Altissimo per inde acceptum gratumque futurum existimavimus ac si contra dietos turcas, saracenosque pugnaremus, et qui in hac pietissima sanctissimaque causa cecidere casurive sunt, eternæ vitæ præmia consecuturos non dubitamus. Nunc demum, præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostes postquam suis iniuriis nephariisque facinoribus magnam christianitatis partem in se concitatam vident, solito astu ingentisque dolis pacem quam insolentissime semper hactenus spreverunt quærere se

206*